

iocisque nil est iucundum. Itaque amplectenda est ea quam supra proposuimus sententia, τὸ κεφάλαιον τῆς Λύδης θρηνοδῆς.

Neque amorem tantum lugubri elegiae inseruit Antimachus sed mythos quoque antiquissimos eosque longiores atque uberrimos, ἐξαρτηθέντες, ut Plutarchus ait, τὰς ἡρωϊκὰς συμφορὰς, ita ut Agatharchides Cnidius, qui Ptolemaeo Physcone et Lathuro regibus (inde ab Olympiade CLVIII usque ad CLXVIII) floruisse dicitur, Lydam in epitomen redigeret quo facilius prodiret conspectus rerum inprimis mythicarum in ipso carmine descriptarum⁹⁾. Atque huic relationi respondent fragmenta ipsa, quae quidem ostendunt Antimachum in Lyda paullo uberius exposuisse fabulas Argonauticas¹⁰⁾ (fragm. 7—8), calamitates Bellerophontis (fragm. 18), fortasse etiam Triopae migrationes (fragm. 1), raptum Proserpinae (fragm. 2. 3), misera Oedipodis fata (fragm. 4). Quae praeterea supersunt fragmenta, ex iis unum spectat ad Solis poculum (fragm. 5), reliqua duo (fragm. 6. 7) ad quamnam fabulam referenda sint in medio relinquitur.

Iam Plutarchus, quum dixerit τὴν ἐλεγίαν τὴν καλουμένην Λύδην, non potuit intelligere Lydam continuis distichis in unam elegiam redactam, propterea quod Stephanus Byzantius Antimachum laudavit ἐν β' Λύδης, Photius ex Vossii emendatione ἐν τῇ Λύδῃ γ'. Vnde hoc certissime colligitur, Lydam ex duobus saltem aut tribus libris constituisse iisque vel uno distichorum tenore fluentibus vel in peculiare elegias sive εἰδύλλια divisas, qualem elegiarum formam prae se ferunt Tibullus, Propertius, Ovidius, Graecorum, ut videtur, exemplar sequenti. Et sicut Callimachus in Bekkeri Anecdotis Graec. II p. 725. 728. rhapsodias Homericas complexus est singulari numero Ὀμήρειον γράμμα, ita idem in scholiis ad Dionysii Perieg. p. 316 ed. Bernh. eodem vocabulo usus est ad Antimachi Lydam designandam: ὅτι δὲ διαβέβηται τὸ παχὺ σαφῶς ὁ Καλλιμαχος ἐν τοῖς ἐπιγράμμασι δηλοῦν διασῶρων γὰρ Ἀντιμάχου τὸ ποίημα τὴν Λύδην ἐρη;

Λύδη καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορὸν¹¹⁾. —

Idemque vocabulum, ut supra vidimus, eodem sensu adhibuit etiam Asclepiades, quemadmodum Athenæus et scholiasta Dionysii dixerunt ποίημα. Neque Agatharchides summarium Lydae instituisse censendus est, nisi hoc poema iustum elegiae modum excessisset. Iam quum Antimachus Thebaïde Athenis recitatae Platonis potissimum admirationem excitasset, philosophus reliquorum quoque carminum desiderio captus Heraclidem Ponticum adhortatus est ut Colophonem profectus Antimachi poemata colligeret ipso Heraclide auctore in Procli commentar. ad Platonis Tim. I p. 28. Ἡρακλείδης γοῦν ὁ Ποιτικός φησὶν ὅτι τῶν Χοιρῶν τότε εἰδομιούτων Πλάτων τὰ Ἀντιμάχου προετίμησεν καὶ αὐτὸν ἐπεισε

⁹⁾ Photii bibl. p. 171 ed. Bekker. αὐτὸν [Ἀγαθαρχίδης] φασὶ — συνετάξατο ἐπιτομὴν τῆς Ἀντιμάχου Λύδης.

¹⁰⁾ Has tractaverant etiam Mimmermus fragm. 10 et Pindarus Pyth. 4.

¹¹⁾ Ex cod. MS. bibl. reg. primus edidit Ruhnkensius in actuario fragm. Callimach. T. I p. 574 sq. alibi corruptus legitur versiculus: αἰδήσαι παχὺ γρ. κ.τ.λ. ubi ΑΥΔΗΣΑΙ ortum ex ΑΥΔΗΚΑΙ prono calami lapsu.